Disputatio inauguralis medica de auditu difficili ... / [Martin Naboth].

Contributors

Naboth, Martin, 1675-1721.
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Literis Chr. Henckelii, [1703]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ad2gpa96

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

37

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
De

AUDITU DIFFICILI,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE,
&c. &c.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
EX DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRÆSIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
D. MEDICINÆ ET PHILOS. NAT. PROF. PUBL. ORD.
POTENTISS. REGIS BORUSSICI CONSILIARIO
ET ARCHIATRO, h. t. DECANO,
PATRONO AC PROMOTORE SUO VENERANDO,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE MORE MAJORUM LEGITIME ASSUMENDI,
Publico eruditorum examini ſubmittit
M. MARTINUS NABOTH,
Calov. Luſat.
Ad d. XXIV. Decembr. M D CC III. horis ante & pomeridianis

HALÆ MAGDEB Literis CHR. HENCKELII Acad. Typogr.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

AUDITU DIFFICILI

PRÆFATIO.

ORgano ritè ſe habente nihil gratius, nihil utilius. Quid cenſendum ſit de auditus inſtrumento bene conſtituto, nuper in Diſſertatione noſtra Phyſica de organo Auditus publice habita pro viribus monſtravimus, ubi non tantum ea, quæ ad ipſius organi auditus conſtitutionem, ſed & uſum naturalem ſpectant, breviter delineavimus. Nunc quæ ad auris cum præternaturalem ſtatum ſive læſionem, tum ipſius quoque curationem pertinent, inveſtigare animum induximus. Cum vero pagellarum anguſtia aurium vitia cuncta ad examen vocare accuratius haud permittat, ſufficiet hac vice,

ſi unicum tantummodo affectum, quem Auditus Difficultatem vocant, perſequamur; qua in re ſi quid offendere videamur, imprimis cum ne jupiter quidem omnibus placere æque valeat, id exiſtimatores æquos atque benevolos benigne eſſe interpretaturos, certò confidimus. Cæterum ſupremum Numen, omnis ſalutis fontem, animitus precamur, ut laboribus noſtris benedicere ex alto velit.

§. I.

AUditus læſiones utut variæ in Praxi obſerventur Medica, præeunte tamen inſigni quondam Batavorum Medico *Franciſco de Iceboe Sylvio in Praxeos Medicæ Libr. II. cap. VIII. p. 404.* cunctas ad tres reducere claſſes non incongruum putamus, quatenus videlicet nobiliſſimus hicce ſenſus nunc plane aboletur, ita ut vel nullum penitus ſonum externum percipiant ægri, vel ſi hujus aliquid auribus hauriant, ejus tamen differentias diſcernere nequeant, quæ græce κώφωσις latine ſurditas dicitur: nunc imminuitur, quando non niſi ſonum altum & vehementem admodum ſentiunt iidem, ita ut, qui cum iis loqvuntur, in aures ipſis loqui & vocem attollere neceſſe habeant, quam læſionis ſpeciem græci ὑποκώφωσιν, Latini Difficultatem ſeu gravitatem auditus vocant: nunc vero depravatur hoc eſt, quando ſonus externus per aliquem motum internum

in

in auribus præternaturali modo excitatum motuique ſonorifico externo obſtrepentem confunditur, ac falſo percipitur; imo aures citra omnem aeris externi commotionem in ſe ipſas ſonant, atque modo ſibilo quodam, modo tinnitu, modo fluctuatione, motu, pulſu intrinſeco &c. moleſtantur.

§. II.

Nos omiſſa ſpecie priori, nec non ultima, de intermedia tantum, quæ Difficultas Auditus audit, hoc loco agere decrevimus; quam deſcribit *Sennertus Prax. libr. 1. Part. 3. Sect. 2. cap. 7. p. 238.* quod ſcil. ſit ejusmodi affectus, qui efficit, ut ægrotantes ſolum ſonos magnos audiant, leves vero non percipiant. Vel quod idem eſt, ubi ſonus percipitur debilior verbaque loquentium ægre & vix niſi admoto propius ore altaque voce & nonnunquam clamore prolata intelliguntur, unde Germanis ſchwehr Gehör talique affectu correpti à *Galeno* ſurdaſtri appellantur.

§. III.

Cauſæ difficultatis auditus & ſurditatis ſæpe eædem notantur. Uterque vero affectus non raro gradu ſaltim differre deprehenditur. Sunt vero cauſæ iſtæ quærendæ modo in organi prava conſtitutione modo in fluido nerveo, videamus igitur primo organum, quod in aurem externam atque internam dividitur, maleque ſe habens, diverſa omnino ratione aliquid ad imminuendum auditum conferre valet.

§. IV.

Siquidem in aure externa vitium connatum non raro animadvertimus, quando magnitudine naturali de-

ſtituitur, vel plicarum, & cavitatum ad reflectendos radios phonicos multum facientium defectus occurrit, vel pauciores numerantur h. e. plicarum vel una, vel duæ tantum reperiuntur, aut loco quinque cavitatum pauciores adſunt: interdum vero injuriâ externâ, quale quid hyberno tempore à graviore frigore contingere vel violentiâ ſimiliter externâ partem quandam auriculæ, vel quoque integram ablatam accuſare cogimur; alio vero tempore inflammationem â plaga, lapſu aliave occaſione accidentem ſpatium ejus naturale anguſtare atque auditum difficilem reddere conſpiciunt. Uſus ideoque auriculæ alias quemadmodum eſt radios ſonoriferos excipere colligere & velut concentrare, ut ſenſibilior fiat verſus organum auditus immediatum commotio; ita abſente hac auricula, vel male conformata aut conſtricta ipſa, imminui auditum, quis non cognoſcit? ut hinc ſurdaſtros naturali quoque inſtinctu volam manus applicando hocce damnum aliquomodo emendare videamus.

§. V.

Meatum quod concernit auditorium, interdum cerumen juſto craſſius & ſpiſſius, præprimis in ſubjectis, quorum maſſa ſanguinea alias viſcida deprehenditur, tenax atque glutinoſum redditum ipſum obturat; quod niſi tempeſtive eximatur, propter moram & ſtagnationem non tantum gypſi formam induit, ſed aliquando etiam lapideam ſoliditatem acquirit, cum ad coagulationem & petrificationem non ſecus ac bilis, cum qua inſignem convenientiam, tam ratione coloris, quam ſaporis & aliarum qualitatum habere videtur, ſatis apta cernitur, uti refert *Thom. Bartholin. Act. Hafn. Vol. 1. Obſ. 46.*

ſe

ſe uxoris ſuæ à dolore circa aurem diu tortæ lapillos ſeu arenulas cum cerumine exemiſſe,& ſic dolorem minuiſſe: Eandem concreſcentiam & indurationem lapideam obſervavit etiam *Jul. Caſſerius de Organ. Audit. Libr. 1. cap. 20. p. 91. 92.* Sic eundem quoque meatum anguſtiorem alio tempore reddunt glandulæ ſalivales parotides dictæ, tumore præternaturali elevatæ & meatum comprimendo tranſitum aeris impedientes. Quandoque membrana duplex conſpicitur: frequentior à condenſatis excrementis, adhærente veluti cruſtula obducitur, non ſine auditus ipſius læſione obſervante *Joh. Veslingio Syntagm. Anat. cap. 16. p. 244.* Idem obſervamus effici â glandulis circa ipſum meatum auditorium locatis, quarum magnitudo ſæpenumero ita increſcit, ut totum meatum occludant. Non raro propter exulcerationes in membrana meatum cingente excreſcentiæ fungoſæ oriuntur, quæ tandem in callum degenerant atque meatum claudunt. Huc etiam referimus ea, quæ ab extra illabuntur aut ſtudio intruduntur vel meatum ſubeunt, v. gr. lapillos, arenas, piſa, nucleos, aquam frigidam, opium, fumum auripigmenti, argenti vivi arſenici, animalcula diverſi generis; cuncta etenim hæc auditus ſenſum hebetare non adeo arduum eſt concipere.

§. VI.

Tonum naturalem lædunt etiam membranæ tympani tenſio, laxitas, induratio, craſſities, perforatio, eroſio. Tenſionem nonnunquam â ſtagnatione humorum, quando ſcil. diutius aeri frigidiori exponitur corpus, aut à metaſtaſi humorum in febribus, cephalagiis diuturnioribus, lue venerea inveterata produci, praxis docet quotidiana; interdum vero per conſenſum à partibus

per corporis remotioribus eandem tensionem membranæ hujus ortam, v.g. à malo hypochondriaco, passione hysterica, aliisque ejusmodi affectibus novimus: hac enim ratione membrana tensa radiis sonoriferis vel nullo aut exiguo modo moveri potest. E contra, ubi robur naturale amittit membrana laxaque & flaccida redditur; quam laxitatem inferunt glandulæ aurium cerumen separantes, si loco ceruminis humorem limpidiorem eumque satis copiose secernuut, non minus miseri damnum experiuntur. Qualem copiam humoris serosi post capitis graviorem ictum ex aure emissam observavit *Cornel. Stalpart van der Wiel obs. rar. Cent. 1. obs. 15.* Casum similem refert *Joel Langelottus, Misc. Med. Phys. curios. germ. Decur. 1. Ann. 6. obs. 12.* de Principe quodam, qui Romæ e cochlidio quatuordecim pedes longo prolapsus, ex cujus aure sinistra octo libræ aquæ fluentis promanarint. Quorsum etiam spectat observatio *Plateri Libr. 3. obs. p. 935.* de puella annorum tredecim jam diu urinæ plurimum emittente, quaque subito cessante, tenuis quidam humor ex aure dextra perque dies aliquot mensuræ duæ integræ hujus liquoris emanarunt.

§. VII.

Quoad indurationem & crassitiem tympani, accidit illa vel à spiritibus volatilibus copiosius instillatis, vel ætate diuturniore in senibus, vel fomentis calidioribus incaute applicatis, membranam corrugantibus atque indurantibus, ita ut ad sonos percipiendos inepta reddatur, commemorante *Thom. Bartholino Histor. Anat. Rar. Centur. 6. obs. 77. p. 337.* Crassitiem autem præter

ter naturalem indicat imprimis in hydropicis, utpote in quibus omnes glandulæ totius corporis & per consequens etiam illæ, quæ in duplicatura membranæ tympani comprehenduntur, magnitudinem præter naturalem acquirunt. Eadem membrana crassior quoque redditur in subjectis diuturniore lue gallica affectis, in quibus observamus squammas insignes quotidie decidentes auditumque turbantes.

§. VIII.

Perforatio denique atque erosio membranæ tympani suum quoque tribuit symbolum, uti §. 6. innuimus, illa maxime à violentia externa proficiscitur, v. g. à soni vehementia tormentorum campanarumve, quorsum etiam referendi erunt illi, qui ad casum Nili degunt surdastri ex fragore & præcipiti lapsu fluentis aquæ à *Job. Riolan. Enchirid. Anat. Pathol. Libr. 4. p. 280.* pronuntiantur. Idem contingit à vehementia auriscalpii profundius intrusi, atque natatione, vel quando studio pertunditur in illo casu, ubi os & nares præternaturaliter clauduntur, ut respiratio per aures fieri queat, monente *Tulpio obs. libr. 1. obs. 36.* Hiant enim ad fauces duo angusti ductus ascendentes utrinque ad latera versus aures, quorum concluso aeri uti advehunt pabulum, sic concedunt interdum exitum per aures spiritui, quo præcaveatur suffocatio. Quale quid bis a nobis observatum in illa respiratione, quæ non nisi recta cervice ducitur, quamque ὀρθόπνοιαν vocant Græci, à cujus periculosissimi morbi suffocatione equidem vidi duos ægros liberatos, effuso spiritu per vias jam commemoratas. In quibusdam insigne foramen deprehendi innuit *Schelhammerus Tract.*

de Audit. p. 255. Imo, inquit, quod majus eſt longe, ego non ſemel, ſed ſæpisſime non ingredi modo eundem aerem, ſed etiam per meatum auditorium confeſtim egredi, flatus inſtar manifeſtisſimè percepi. Quod ſi quis putet, me hoc fingere, adeat *Veslingium*, *Lindanum*, atque alios, qui viderunt haud raro illos, qui tabaci uſu delectantur, ingentes fumantis illius nebulas, prius in os detractas, ex auribus rurſus emiſiſſe. Quodſi horum teſtimonia alicui non ſufficiant, adjungat etiam *Conradi Victoris Schneideri ex Libr. de Oſſe cribriform. p. 455.* obſervationem, ubi hæc leguntur verba: quæ in intima aurium detruſa ſunt ex ore clauſo, interdum ſternutando eliduntur, non quod cerebrum aut dura meninx, aut auris tunica tympanum cognominata, tantopere commoveatur, ſed quod aer per aquæ ductum ad antrum auris, tum quaſi impetu facto, prorumpat & ea, quæ inibi inhærent, ſuo loco dimovere poſſit. Cujus rei exemplum egomet obſervavi in patrio oppido Athenæo ſalano, in figulo, qui cum ceram, neſcio qua de cauſa, aures obturandi gratia in illos altius immiſiſſet, ita ut nulla ratione inde rurſus eam poſſet extrahere, tandem cohibito ſpiritu, magna vi globulos illos hoc pacto rejecit. Ipſe novi quendam juvenem viginti duorum annorum, qui ſibi mediante inſtrumento quodam acuminato membranam tympani ita læſit, ut clauſo ore, naribus, ſpiritum cum ſibilo per aurem, quocunque tempore voluit, emittere, atque candelam accenſam ſubito extingvere potuerit. Ex hac autem læſione factum eſt, ut difficilius ſonum perciperet.

§. IX.

At eroſio membranæ tympani tam ab intra, quam ab

ab extra fieri ſolet: cauſæ internæ utplurimum deprehenduntur vermes, variæ magnitudinis & figuræ; Ita etiam *Petr. Foreſtus obſ. 7. Libr. 12. in Schol.* eam annotavit, poſt graviter exulceratas aures internas â variolis malignis aurium interiora occupantibus. Nonnunquam ab ulceribus glandularum auris externæ eroſio contingit: quemadmodum pariter non infrequens eſt talis à glandula parotide ſuppurata meatum auditorium penetrans tympanumque lædens, ut in infantibus fere quotidie obſervare licet. Spectat huc ſuo ſenſu materiæ purulentæ à nativitate excretio de qua *Cornel. Stalpart van der Wiel obſ. Rar. 15. p. 74.* ex *Broſſavolo* refert. Eſt mihi, inquit, filia Laura nomine, è cujus aure ſiniſtra ſanies illico poſt nativitatem fluere cœpit, qui effluxus per multos menſes continuus non ſine auris fœtore immani duravit, bene alioquin ſeſe habente illa: ſiniſtra autem poſt aliquot menſes aure jam veluti ſiccata, dextra ſaniem emittere cæpit ad ſeptimum decimum uſque menſem, poſt quod tempus, ceſſante fluxu, ipſa optimæ fuit valetudinis.

§. X.

Nec oſſicula ſub tympano conſpicienda ex cauſarum numero ſunt excludenda, facile enim contingere poteſt, ut unum alterumve ab injuria externa ſitum vitioſum acquirat, vel frangatur, vel à primo ortu male conformatum ſit, vel deficiat, unde functionem eorum poſtmodum turbari ratio dictitat.

§. XI.

Difficultatis auditus cauſa præter recenſitas quodammodo etiam dici poteſt ſinus maſtoidei membrana

glandulosa præter naturaliter constituta, aut lymphaⁿ copiosiorem aut crassiorem ad membranam tympani, musculos mallei atque stapedis, tympana duo minora, quæ foramen ovale atque rotundum claudunt, deponens, unde partes hæ, imo chorda ipsa quoque humectatur nimium atque tonus earundem partium naturalis destruitur.

§. XII.

In aure interna nervus adhuc auditorius ceu causa quoque difficilis auditus considerandus restat, cujus texturam à variis rebus humoribus v.g. crassioribus impactis, vel ab intempestiva unguenti mercurialis pro sordibus capitis externis detergendis illinitione referente *Timæo Libr. 1. Epist. 29.* lædi posse constat: quo etiam spectat, si nervus, iste non recte formatus aut implantatus fuerit, unde fit, ut nonnulli surdastri nascantur. Nec incongruum erit, si huc etiam cum *Francisco Sylvio Prax. Libr. 2. cap. 8.* referamus exsiccationem ipsius nerui auditorii, qualem & nobis ante aliquot annos in cane videre licuit, qui altero cæcus erat oculo, auribusque pariter sonum non rite percipiebat, quo sectioni exposito, aperto cranio atque remoto cerebro, nervus opticus atque auditorius dextri lateris flavescens multoque tenuior apparebat. Idem nervus auditorius alio tempore inordinatè premitur à particulis heterogeneis in febribus tam continuis quam intermittentibus, præprimis vehementioribus atque diuturnioribus, vel aliis morbis gravioribus à massa sanguinea, præsertim circa statum atque decrementum morbi, quo tempore cruditatum separatio à sanguine maxime

con-

contingit, ad aurem internam neruumque auditorium & membranas nerveas depositis, auditumque difficiliorem reddentibus.

§. XIII.

Tandem spirituum animalium vitio difficultas auditus producitur, vel quatenus deficiunt in senibus, de gravi auditu valde conquerentibus, aut in aliis subjectis per evacuationem excessivam, & sanguinis, hæmorrhoidum, mensium, lochiorum, humorisque spermatici nimias profusionis, lactationem, alui fluxus, labores graviores, vigilias & studia immoderata & sic porro deperduntur & consumuntur: Vel pauciores generantur nunc ob materiæ adæquatæ scil. sanguinis satis actiui defectum dependentem ab alimentorum spirituosorum rariore assumptione, vel laudabilium quamvis infelici digestione. Ejusdem enim materiæ textura spissior sive tenacior partium implicatio spirituum productioni obest, quod illas particulas subtiliores secedere non adeo facile concedat, quale quid in hypochondriacis aliisque viscidiore sanguine scatentibus solenne est, torpore hinc omnium sensuum motusque segnitie laborantibus; nunc vero ob cerebri tanquam organi secretorii adæquati vitia, quæcunque demum illa sint. Denique à motu spirituum præter naturali difficultas auditus oritur, si vel non sufficienter moveantur, vel impetuosius, vel irregulariter & inordinatè agitantur, quale quid in apoplexia & soporosis affectibus post usum narcoticorum vel alio tempore in ira & furore observare solemus.

§. XIV.

Signa difficultatis auditus vel ſenſibus cognoſcere, vel ex cauſis deſumere, licet. Nam vitia conformationis plicarum & cavitatum penuria in aure externa oculis patent, quemadmodum defectus auriculæ vel partis ejusdem abſumtæ, in ſenſus quoque incurrit: inflammatio vero ex tumore, rubore & dolore pulſatili facilè determinatur, reliquasque læſiones à violentia externa v. gr. plaga, lapſu &c. relatio vel ipſorum ægrotantium vel adſtantium & inſpectio facile indicat.

§. XV.

Cerumen craſſum ſpiſſum, copioſum, gypſeum, petrefactum, vel quoque juſto tenuius, aut purulentum aut aquoſum viſu percipimus. Inſimul quæ circa meatum auditorium reperiuntur, v. g. ſi glandulæ ſalivales parotides tumidæ ſive purulentæ fuerint: glandulas in meatu auditorio tumore præternaturali præditas, vel exereſcentias fungoſas, imo callum, verucas, ſcirrhum &c. inſtrumentis aliquomodo explorare licet.

§. XVI.

De vermium inſignes ſæpe turbas in aure concitantium præſentia ex relatione ægrotantium conſtare poteſt. Membranæ autem & auris internæ vitia, quia oculis Medicorum non ſubjacent, non æque vel ſaltim non adeo accurate dignoſcere licet, ſed ex circumſtantiis ab ægrotantibus allatis probabiliter diſcernenda veniunt, & quidem tenſio membranæ tympani, ſi à ſtagnatione humorum oritur, ex gravedine, tuſſi, aliis-

aliisque catarrhorum ſignis; ſquammæ ex ſquammis totius corporis ſive aliis ſignis ipſius luis venereæ; metaſtaſis ex morborum præprimis febrium gravitate, aut ſi narcotica vehementiora applicata fuerint; aut aeri frigidiori corpus quis expoſuerit, patet. Contingere tamen etiam ſolet tenſio per conſenſum, ſi prius jam ſatis diu malum hypochondriacum, paſſio hyſterica reliquique affectus abdominis flatulenti præceſſerint. Laxata num ſit membrana tympani, continuus affluxus ſive præſentia humoris limpidi loco ceruminis, vel defluxiones catarrhales demonſtrant. Indurationem à continuata inſtillatione liquorum volatilium frequentius adhibitorũ, vel fomentis calidiſſime applicatis judicamus. Craſſities membranæ tympani præternaturalis pariter à defluxionibus glandulas in majorem molem extollentibus atque hydrope univerſali & lue venerea præcedente dijudicatur. Perforationem ſive laceration em ex tranſitu flatuum dignoſcimus. Signa tandem ulcerum internorum puris excretio ſuppeditat.

§. XVII.

Spirituum animalium defectum ætas ſenilis reliquarum partium debilitas atque infirmitas & antecedentes humorum laudabilium excretiones nimiæ, ægrorumque confeſſio patefaciunt. Influxum vero vel denegatum & inſufficientem motum, vel impetuoſiorem agitationem ex collatione antecedentium & conditione atque ſtatu præſente ægrotantis prudens & circumſpectus Medicus facile determinabit.

§. XVIII.

Quod prognoſin concernit, hæc pro cauſarum diver-

versitate variat: quod si enim à nativitate vel auris externa integra, vel pars ejus, vel plicæ, vel cavitates quædam desiderantur, vel injuria externa deficit auricula, restitutionis nulla erit spes. Inflammatio à plaga, lapsu, aliave occasione excitata, quia cerebrum & meninges facile in consensum trahit, frequentius deliria & convulsiones parit. Pro immedicabili malo non habendum est cerumen justo crassius & spissius, aut si gypseam vel lapideam assumserit naturam. Quemadmodum tumores parotidum atque glandularum circa meatum auditorium sitarum, nisi adsit cancrosa exulceratio enormis, curationem quoque admittunt. Ast pertinacius malum videntur exulceratio atque fungosæ excrescentiæ membranæ meatum auditorium cingentis, præsertim si tandem in callum degenerent; huc quoque pertinent uerrucæ, scirrhi ejusdem membranæ, nam etiamsi pars quædam extrahatur, tamen intra parvum temporis spatium denuo recrudescit. Meatum auditorium illapsa, pro varia dispositioue eorundem corporum vel facilem, vel difficilem admittunt curationem. Membrana tympani præter naturam tensa à stagnatione humorum, aere frigidiori, lue venerea, metastasi humorum, narcoticis incautè applicatis, febribus acutis, cephalalgiis diuturnioribus malo hydochondriaco, passione hysterica, aliisque affectibus abdominis inveteratis orta, ratione diuturnitatis & vehementiæ morborum recensitorum citius vel tardis restituitur. Laxitas membranæ tympani, quæ à liquoribus ab extra instillatis & non din continuatis originem trahit, facilius, quæ vero à glandularum textura depravata dependet, difficilius curam admittit. Induratio membranæ, si solidior redditur, ex lon-

longiori temporis ſpatio, ſive ſit ab incauta inſtillatione ſpirituum volatilium, ſive à fomentis calidioribus membranam corrugantibus, incurabilis fere redditur. Craſſities ejus præternaturalis ex hydrope, defluxionibus catarrhalibus, lue gallica diuturniore difficulter exſtirpatur, advertente quoque *Jul. Caſſer. Placentin. de Audit. organ. uſ. libr. 3. p. 117.* Nam ſi forte tympanum à prima conformatione craſſius producatur, ſurditatem inſanabilem infert: ſi vero poſt ortum, humoris influxu perfundatur, gravem, ac difficilem auditum parit. Pertoratio membranæ ſive ab extra ſive ab intra, ſive ab alia cauſa fuerit facta, præprimis ſi paulo major ſit, item atque eroſio membranæ ſive à vermibus, ſive ab ulceribus in variolis malignis, ſive à glandulis auris externæ atque parotidum contigerit nullam admittit medelam.

§. XIX.

Nec curæ ulli ſe ſubmittunt officia auditus, ſi unum vel alterum deficiat, aut ſitum vitioſum acquirat, vel fractum vel à primo ortu male formatum fuerit. Difficilior etiam reſtitutio redditur, ſi lymphæ copioſioris & craſſioris diuturnior affluxus ex ſinu maſtoideo inhiberi non poteſt. Idem cenſendum eſt de quantitate excesſiva aeris concluſi tam in veſtibulo quam canalibus ſemicircularibus & cochlea atque motu tympani præternaturali deque nervi auditorii ab humoribus craſſioribus compreſſione & læſione ex ungventi mercurialis illinitione intempeſtiva, vel ab ortu præternaturali formatione, aut organo auditorio facta implantatione; huc quoque referri poteſt ejusdem nervi auditorii exſiccatio. Difficultas auditus à febribus tam continuis, quam

intermittentibus aliisque gravioribus morbis proficiscens, absoluta cura febris, vel morbi alius, cessat: quod etiam sperandum si à spirituum animalium defectu vel motu inordinato dependeat, his enim restitutis, vel ad motum naturalem reductis, malum quoque tollitur.

§. XX.

Deveniendum nunc erit ad Therapeiam, quæ in difficultate auditus pro causarum diversitate quoque diverse adornanda. Et quidem defectui auris externæ, aut non rite formatæ ratione plicarum & cavitatum instrumento acustico, quod *Anthon. Nuck in Experim. chirurg.* delineavit, succurrimus. Si vero pars quædam auriculæ abscissa offenditur, mox assuenda atque emplastris convenientibus applicatis curanda: qua vero ratione cura instituenda sit, docet *Hier. Fabric. ab Aquapendente Libr. 2. de vuln. part. p. 183.* insimul quoque cautelam audit in futura perficienda, subjectam cartilaginem evitandam esse, ne puncta inflammetur & putrescat. Inflammatio auris externæ ab injuria externa nec non ab humoribus internis concitata, venæsectionem in latere opposito brachii vel pedis derivationis atque depletionis gratia postulat: *Riverius Prax. libr. 2. cap. 3. p. 266.* suadet sectionem venæ cephalicæ ê directo auris affectæ. Si, inquit, à supressione mensium aut hæmorrhoidum affectus originem duxisse videatur, venæ inferiores aperiendæ sunt. Imo & absentibus hujusmodi causis, venarum inferiorum apertio optimam revulsionem præstabit ad opposita distantissima, cui etiam conferent hirudines ano affixæ: ad eundem depletionis usum cucurbitulæ sca-

ſcarificatæ pone aures applicatæ à *Zacut. Luſitan. Libr. 1. Prax. admir. obſ. 64.* commendantur. Adhibenda quoque diaphoretica, aperta prius alvo, ſtagnationem ſangvinis reſolventia ex fixioribus v. gr. antimon. diaphor. ſimpl. & martial. lap. cancr. ebor. ſine igne, dent. equi marin. mandib. luc. piſc. unicorn. ver. &c. aliquando ſi dolor urget, tantillum anodyni admiſcendum. Fomentationes parti dolenti applicandæ v. gr. ex herb. & flor. malv. altheæ, flor. chamomill. ſambuc. papav. errat. quæ aqua ſimplici vel lacte coquenda; ſolanum quoque interdum addere convenit, præſertim ſi dolor maximè urgeat, ſed ut caute cum anodynis procedamus, ne auditum obtuſiorem reddamus, monet *Riverius Prax. libr. 3. cap. 3. & Franc. Joel Prax libr. 2. ſect. 2. p. 221.* Cum vero inflammatio in pus degenerat, illud maturatur per cataplasmata commoda, quæ *Paul Barbette in chirurgia* allegat, & ruptus abſcemus [illegible] per mel roſac. cum ſucco centaur. minor. vel decoctum agarici, vel ungventum ægyptiacum, vel tincturam myrrhæ. Exſiccando & conſolidando ulceri idem *Barbette* alumen uſtum cum vino ſolutum ſuadet.

§. XXI.

Cerumen craſſius & ſpiſſius meatum auditorium obturans fotibus emollientibus atque injectionibus ex plantis lenientibus emollitur atque deinceps cochleari ad eum uſum parato educitur ſordibusque his in auribus moram nectentibus caute remotis, nonnunquam in momento reſtituitur auditus, notante *Sylvio Prax. Med. l. 2. cap. 8. p. 405.* ne autem mox novum generetur cerumen craſſius, materiam pec-

cantem ex toto catarcticis, causis convenientibus, tollamus necesse est. Commendantur quoque hoc in casu simul decocta lignorum & radicum, quæ affluxum ad aures impediunt, atque per alias vias extra corpus eliminant, scil. per diaphoresin atque diuresin, v. gr. ex rasur. lign. guajac. sassafr. santal. juniperin. cort. fraxin. radic. chin. sarsaparillæ. bardan. bacc. laur. herb. serpill. majoran. salviæ, heder. terrestr &c. Nec inconveniens est usus fonticulorum, mediantibus quibus humores pravi biliosique successive educuntur. Neque negligenda evacuantia particularia, sc. apophlegmatismi, qui dum per os educunt, affluxam ad aures egregie arcent, v. gratia ex radice pyrethri Zingib. imperator, &c. Glandularum parotidum intumescentiam præternaturalem, atque scirrhosam remediis pharmaceuticis interdum minime tollere licet, quamvis etiam caustica adhibeantur, quantum enim uno die aufertur, tantum imo sæpe plus altero die succrescit: tamen huic malo chirurgia subvenit, nimirum tollendo integram glandulam scirrhosam. Qua vero ratione, quibus instrumentis atque circumstantiis operatio hæc commode institui possit, ostendit *Petr. Adrian. F. Verduin in Auctuario secundo Armamentarii chirurgici Johannis Sculteti.*

§. XXII.

Membrana meatus auditorii ostio prætensa chirurgiæ committenda est & præunte *Cornel. Celso* eamque jam caustico potentiali, jam actuali, jam incisione perficimus, ex quibus tamen modus postremus prio-

prioribus anteponendus, in parte videlicet nervorum principio adeo propinqua: fieri autem incisio potest cultello subtiliore & ancipiti, ita ut profundius non imprimatur, postmodum immittitur, vel cannula plumbea, aut ex pluma auserina & linteo vel emplastro obvoluta, aut unguento epulotico illita, donec occalluerint meatus latera, imo etiam leve cathæreticum, v. gr. chalcitis lævigata mediante turunda vel cannula applicanda, quod membranæ reliquias laterales sensim consumat, ubi cannulæ imbuenda media non inferior pars, ne interiora lædat, ipsique imponendum plumaceolum oleo rosaceo vel simili imprægnatum, cum emplastro diapalma, de betonica, aurisque obtegenda. Carnosæ excrescentiæ aurium, si satis promineant, portio major vinculo constringenda atque amputanda, & quidem instrumentis ab *Hildano Cent. 3. obs. 1.* adumbratis, quibus etiam fungosæ aurium excrescentiæ auferendæ succurrimus: hæc autem si minor sit atque in auris meatu profundius lateat, primo escharoticis, deinde exsiccantibus medicamentis uti decet & quidem ad eundem modum, quem *Hildanus* loco allegato præscribit.

§. XXIII.

Quæ ab extra in aures incidunt, qualia sunt, quæ superius recensuimus quorumque exempla *Marcell. Donatus Histor. mirab. libr. 2. Centur. 12.* & *Hildan. Cent. 1. obs. 4. & seqv.* tradunt, ea extrahere decet quam citissimè, præprimis si talia fuerint, quæ sub mora, vel ab humiditate aurium intumescunt, hincque difficilius extrahuntur, ut sunt pisa, nuclei, vel

à quibus eroſio partium internarum metuenda, v.gr. vermiculi, quod quidem aliter fit, ſi in meatu cartilagineo, ac ſi in oſſeo ſive profundius hæreant. Si enim in cartilagineo, hic lumini probe exponitur oleoque amygdalarum dulcium lubricitatur, & mediante ſpeculo auris quod *Hildanus Cent. 1. obſ. 4.* delineavit, dilatatur, quo commodius introſpicere & explorare liceat, qua parte inter corpus heterogeneum & meatum cochleare aut id genus inſtrumentum immitti queat; ſublato ſpeculo, ſi illud rotundum extiterit, inter hoc & meatus parietes cochleare ſive auriſcalpium, quod idem *Hildanus* delineatum reliquit, vel uncus exilior immittatur, eisque plus minus oblique retractis heterogeneum protrahatur: ad piſum illapſum extrahendum ab eodem *Hildano* commendatur inſtrumentum terebrans, ratione figuræ idem cum illo, quo globulus plumbeus é vulneribus educitur, hujus tamen uſum vel ideo non omni periculo carere queruntur chirurgi, quod terebra ſine notabili niſu vel impetu vix adigi poſſit, hinc non raro contingere ſolet, ut ſi ad profundius corpus extrahendum immittatur, aut tympani membrana laxetur aut dilaceretur. Quod ſi vero contingat, ut piſum aut ſimile quid eo usque intumeſcat, ut integrum inde auferri nequeat, cultello ancipiti & globulo in apice munito illud bis vel ter incidatur, ejusque ſegmenta aut auriſcalpio, vel forcipe aut volſella extrahantur. Sin vero illapſa ſive intruſa aſperiora & anguloſa extiterint, aut forcipe aut cochleari unciformi, cujus interior ſuperficies aſperior ſive crenata, commodius educuntur.

§. XXIV.

§. XXIV.

Animalculis vero protrahendis, ſi viva adhuc ſint, inſerviunt eſcæ, quæ alias illis exiſtunt gratæ, ut ſacharum, mel, fruſtulum ficus, eaque vel per ſe, vel mediante carbaſo, vel ſpongia meatui auditorio intruſa, utpote quibus dulcibus alliciuntur, quemadmodum peculiare ſibi habet illud vermium genus, quod auriculare appellatur, ut pomi dulcis medietate paululum excavata & auri externe impoſita, eliciantur, innuente *Sennert. Inſtit. libr. 5. Part. 1. Sect. 2. cap. 10.* qualia animalcula viva ad eductionem diſponimus eademque ſuffocamus per oleum, vel acetum, juxta *Paræum* auribus inſtillata, vel per ſuccum centaurii minoris, abſinthii, ſolutionis myrrhæ, aloes, aliorumque amarorum. Mortua autem educuntur, vel auriſcalpris & uncis commodis, vel ſpecillo, cujus extremitas carbaſo obvoluta & terebinthina imbuta, ut *Marc. Donat. libr. 1. Cent. 12.* Tineam, qualis in tritico generatur, inſtillata terebinthina tepida, ſe eduxiſſe perhibet, monente *Joh. van Horne Mi-Microtechne pag. 12. & Solingen Chirurg. libr. 1. cap. 10.* Quod ſi vero ad meatum oſſeum talia deſcenderint, huncque obturent, res difficilior eſt, & neutrum horum inſtrumentorum ſufficiet; adeoque præter *Æginetam libr. 6. cap. 24. Marc. Donat. loc. alleg.* ejusdem meatus inciſionem pone aures & in ejus parte ſuperiore adornare ſuadent: ubi ſcil. nulla vaſorum laceratio metuenda & meatus ſubſtantia non cartilaginea ſed membranacea & glanduloſa tantum eſt, quo per aperturam hanc inſtrumenta commendata commodius ê directo magis applicare liceat. De cætero illapſa quævis, niſi firmius impacta & aſpe-

aſperiora fuerint, quæ impetuoſius commota interiora lacerent, *Parens Libr. 16. cap. 23.* concitata ſternutatione vel tuſſi nares & os ſimul obturando exſturbare conatur: quo compreſſo quaſi & per aquæductum *Euſtachii* ad aurem coacto aere heterogenea ejusmodi exploduntur. Quod commodius fiet ſi meatui auditorio lubricitationis gratia prius aliquid olei liliorum alborum aut amygdalarum dulcium immittatur, & æger aurem obſtructam cum capite ad humum deflectat, conſentientibus *Tulpio libr. 1. obſ. 36. Veslingio, Lindano, Conrad. Victor Schneidero libr. de oſſe cribriform. p. 455.* ut ex antecedentibus patet. Aqua frigida ab immerſione illapſa, reclinato capite humum verſus, ſua ſponte effluit, reliquiæ ejus carbaſo ſive inteolis tenuioribus exſiccandæ.

§. XXV.

Tenſio membranæ tympani à ſtagnatione humorum aere frigidiori concitata poſtulat remedia reſolventia, v.g. ſpiritus volatiles urinoſos atque ſulphureos, nempeſalis amomniaci, cornu cervi, ſal volatile oleoſum Sylvii, tinctur. tartar. ſimpl. atque compoſ. &c. intus propinata. Externe ſacculi ex flor. ſambuc. chamomill. herb. ſerpill. majoran. origan. baccis lauri &c. calidè applicati conveniunt, felicius reſolutio humorum ſuccedit, ſi inſimul corpus aeri calidiori exponitur. Quæ vero tenſio à metaſtaſi humorum febrium acutarum originem ducit curato morbo primario, ſcil. febre acuta, per remedia illi congrua, etiam ſine topicis adhibitis, tollitur. Idem dicendum de tenſione quæ originem habet à cephalalgiis diuturnioribus, lue gallica inveterata, quæ peculiaria remedia requirit, ſcil. decocta atque eſſentias lignorum,

eva-

evacuantia mercurialia: si his non cedit, ipsa denique salivatio instituenda.

§. XXVI.

Laxitas ejusdem membranæ à copiosiore secretione glandularum meatus auris externæ imminuitur per evacuantia congrua, ex scammonio, jalappa, aliaque serum abundans educentibus, propinata: iisdem quoque remediis defluxiones catarrhales removeri possunt. Externè vero ad corroborandas glandulas aliisque partes auris, nervina atque anticatarrhalia applicare convenit, v. gr. flor. lavendul. fol. salviæ, rosmarin. herb. & flor. origan. serpill. majoran. mastich. bacc. laur. succin. atque castoreum. Imo moschus solus & per se auribus immissus in surditate ipsa adeo laudatur à *Foresto libr. 12. obs. 15.* Mulier delphensis, inquit, cum ex diuturno morbo convaluisset, incidit in surditatem satis diuturnam, quæ cum satis purgata esset, & deinde à medicamentis abstineret, & longo tempore adhuc surditate laboraret; vetula quædam ei consuluit, ut granum unum vel alterum moschi optimi in bombace misceret & auri perpetuo imponeret. Hoc remedio præter omnem spem, ab omni surditate liberata est. Ego multos quidem, quibus auris sanie longo tempore maderet, curavi sola imposita bombace, in qua moschus reservatur, quod & aurem exsiccaret & simul surditatem tolleret. Aquas destillatas quoque mediante gossypio membranæ tympani tepide applicare licet, v. gr. aquam vitæ juniperinam, aquam anhaltinam, spiritum acovisticum Mindereri, Mynsichti, Essent. succini. Olea destillata nervina efficacissimè quoque operantur, qua-

lia ſunt roſmarini, majoranæ, ſalviæ, fœniculi, ſpicæ, caryophyllorum, ſuccini, rutæ &c. Quæ tamen propter nimiam vehementiam ſola non ſunt uſurpanda, ſed in parva quantitate miſceri poſſunt cum oleo amygdalarum amararum, vel liliorum alborum, notante *Riverio Prax. Libr. 2. cap. 2.* Neque negligenda decocta fructuum, florum, herbarumve aromaticarum, quarum vapor per infundibulum ad aures dirigitur, & tanquam ſpecificum decoctum illud ex hedera terreſtri paratum commendat *Simon Pauli Quadr. Botan. p. 65.* Tympani laxati aliquomodo iterum ad tempus tenſi ſive correcti duo exempla allegat *Williſius Tract. de An. Br. p. 69.* accepi inquiens, olim à viro fide digno, ſe mulierem noviſſe, quæ licet ſurda fuerit, quousque tamen intra conclave tympanum pulſaretur, verba quævis clare audiebat; quare maritus ejus tympaniſtam pro ſervo domeſtico conducebat; ut illius ope colloquia interdum cum uxore ſua haberet. Etiam de alio, pergit, ſurdaſtro mihi narratum eſt, qui prope campanile degens, quoties una plures campanæ reſonarent, vocem quamvis facile audire, & non alias potuit. Proculdubio horum ratio erat, quod tympanum in ſe continuo relaxatum ſoni vehementioris impulſu ad debitam tenſionem, quo munere ſuo aliquatenus defungi potuerit cogeretur.

§. XXVII.

Indurationem membranæ tympani, ſi nondum corrugata deprehenditur, corrigere atque emollire licet lacte tepido quotidie ſemel vel bis inſtillato: huc quoque faciunt aquæ ex plantis lenientibus, v. gr. althæa, mal-

malva, atriplice, mercuriali &c. deſtillatæ atque membranæ applicatæ: ſi vero rugas contraxerit eadem membrana, qualium *Thom. Bartholinus Centur. 6. hiſtor. 77.* meminit, à pane calidiore incaute admoto, pro incurabili utplurimum habetur. Commendatur tamen ab Autore jam nominato externum remedium à *Prævotio in Select. Remed.* pro ſecreto habitum quod ex croco caryophyllis & ſucco cyclaminis componitur cui aquam roſaceam addit, bombace excipit auribusque immittit. Craſſities membranæ tympani præternaturalis ex hydrope ortum ducens per remedia hydropi congrua tollitur, v g, gum. gutt. helleb. nigr. colocynth. tartarum emeticum; aliaque ſuperius de defluxione catarrhali recenſita. Salutaria etiam ſunt ſalia fixa plantarum, v.g. dipſaci, geniſtæ, ſtipitum fabarum, ononidis &c. ſi urinæ emiſſio ſubito ceſſat, jubet *Platerus libr. 3. obſ. 735.* præparari diuretica quædam, inter quæ etiam terebinthina erat, quibus ſumtis ipſa ægrotans ſæpius quater decies urinam emiſit; verum illa cito ſiſtebatur, atque iterum ex aure abunde profluere dictus humor cœpit; ità ut viginti quatuor horarum ſpatio menſuras aliquot auguſtanas aquæ puræ cui omnis odor guſtusque deerat ejecerit. Cum vero poſtea rurſum terebinthinam ſumſiſſet, denuo lotium reddidit, primum magna copia, remittente aurium hoc fluxu, poſtmodum vero naturaliter, nec quicquam inde mali paſſa eſt. Squammæ membranam craſſiorem reddentes atque à lue venerea originem trahentes per illa remedia, quæ lui appropriata dicuntur, curandæ, quorum quædam ſuperius de tenſione membranæ recenſuimus. Perfora-

tio ſeu laceratio membranæ tympani omnem reſpuit curam, quod etiam ſentiendum de exulceratione hujus membranæ atque officulorum auditus ſitu vitioſo, fractura, defectu & conformatione à primo ortu præternaturali.

§. XXVIII.

Exulceratio glandularum tam auris externæ, quam parotidum, quomodo tractari debeat, ex ſuperius allatis conſtat. Membrana glanduloſa ſinus maſtoidei præternaturaliter conſtituta lymphamque aut qualitate peccantem, ſeparans, remedia magis univerſalia, organa digeſtionis ſuccurrentia atque totam maſſam ſanguineam corrigentia poſtulat, quæ & qualia eſſe debeant, quomodo quibusque circumſtantiis adhibenda ſint, ex ſuis locis peti poteſt. Preſſio nervi auditorii ab humoribus craſſioribus eâdem quoque ratione ac ſtagnatio corrigenda; quæ vero ab intempeſtiva unguenti mercurialis illinitione ortum traxit, peculiarem exigit curam, qua mediante particulas mercurii currentis per ſalivam, ſive ſudorem, ſive alvum, ſive denique vias urinarias eliminare licet. Nervo auditorio exſiccato nullum ſupereſt medicamen. Compreſſio nervi auditorii à particulis heterogeneis tempore febrili ſeparatis ſ. depoſitis, febrium remediis congruis tollitur. Ubi in malo inveterato, præſertim ſubjectorum ſcorbuticorum cura remediis ordinariis ex voto non ſuccedit, thermas ſulphureas & bituminoſas in ipſa quoque ſurditate commendat *Riverius Prax. libr. 2. cap. 2.* ubi modum utendi etiam addit ex *Penoto*, cujus verba ita ſonant: nihil æque conducit

in

in ſurditate etiam poſt centum remediorum uſum, quam ut patiens, optimè prius corpore mundato & deinde capite purgato ſulphureis balneis caput madefaciat hoc modo. Ex ſpongiis magnis conſutis veluti cucupham ferat in capite, ad ſupercilia & infra aures deſcendentem. Sedeat ſub canali balneorum, & verſo epiſtomio aquam accipiat, quæ abſorpta ſpongiis, caput continuo calore ſuo fovebit, atque omnes capitis ſuturas auriumque commiſſuras deducens atque aperiens, materiam impactam nervis viisque auditoriis reſolvet per habitum, aut adeo mutabit, ut brevi ſit abitura. Bis in die ita ſedere convenit ad horas duas, ac deinceps ſtatim ſudare in lecto. Effectum laudabilem confirmat civis hujus loci honeſtus, ſicuti nobis retulit, ſe uſu thermarum Carolinarum per duas ſeptimanas continuato, omnem difficultatem amiſiſſe perfectumque auditum recepiſſe.

§. XXIX.

Spirituum denique animalium defectus reſtituitur copioſiore aſſumtione alimentorum ſpirituoſorum eorumque laudabili digeſtione per confortantia. Humorum evacuationes intempeſtivæ per appropriata medicamenta ſiſtendæ. Tenacior particularum ſpirituoſarum implicatio à malo hypochondriaco, ejusdem mali curam exigit: quemadmodum motus tardior vel impetuoſior, vel irregularis, morbi primarii cura emendatur.

§. XXX.

Diæta in auditu difficili conveniens pro causarum varietate varianda, sicuti ex superius allegatis causis patet: inprimis autem vitentur omnes cibi crassi, viscidi, & difficilis concoctionis, acidi, & flatulenti; panis sit benè fermentatus. Pro potu ordinario convenit cerevisia optimè defecata, nec multo lupulo condita, caput gravans; vinum generosum præprimis si visciditas peccat, quandoque moderatè assumtum convenit. Totum corpus præsertim aures custodiantur ab aere & vento frigidiore; exulent venus nimia & ebrietas animique affectus immoderatiores. Somnus & vigiliæ nec excedant, nec deficiant.

S. D. G.

S. P. D.

S. P D.

PRÆSES.

On minus ſcite quam vere dictum eſt ab erudita antiquitate: Anatomiam dextrũ eſſe medicinæ oculum; probe enim perſpiciebant prudentiſſimi iſti viri omnem medicam theoriam, ſine qua Praxis rationalis conſiſtere nequit, præcipue fundatam eſſe in exquiſita cognitione ſtatus integri ac ſani ſecundum naturam, quæ an ullo modo melius & rectius comparari poſſit quam per diligentem & ſolertem viſcerum humani corporis inquiſitionem equidem non video: nihilominus perniciosa minus laudanda eſt quorundam ſententia, Medicam praxin Anatomia carere poſſe, quod equidem de empirica, minus vero de ſolida accipimus, quæ videlicet morborum & ſymptomatum cauſas, quæ eorum quæ proſunt & nocent corpori rationes indagat quæ fundamentum in diagnoſi & prognoſi rimatur. Tu nobiliſſime CANDITATE pererudita tua Diſſertatione clariſſime doces cujus utilitatis ſit anatome in pathologi-

cis

cis & therapevticis. Notissima Tua est exquisita solertia in curiosa corporis humani inquisitione inque enodatione accuratissima etiam minimorum, quæ circa structuram machinæ nostræ occurrunt, laudem ac gloriam inde adeptus es non minimam apud juvenes non modo sed & peritos ac doctos viros. Et in quantum hoc scientiæ genere profeceris, non modo ex superiori dissertatione habita Lipsiæ sed ex hac ipsa quivis cordatus perspicit. Impense igitur gratulor tibi amicissime NABOTHE quod tandem non ut juvenis, sed ut peritus & adultæ scientiæ vir post tot exantlatos in anatomicis botanicis imo Praxi labores summa cum dignitate honoris Templum ingrediaris. Optandum vehementer foret ut plures hac in re haberes imitatores. Cæterum DEUS T. O. M. ulterius omni benedictionis ac prosperitatis genere tuos progressus secundet, omneque odium ac invidiam quæ perpetuo virtutis comes est, enervet inque bonum Juventutis Lipsiensis Te diu servet!